



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

1 Ad rectè meditandum necessariam esse præparationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)



TRACTATUS II.
DE PRÆPARATIO-
NIBVS.

*Ad recte meditandum necessariam
esse præparationem.*

CAPVT I.

PRÆPARATIONEM ad me-
ditandum esse necessariam per-
suadet primo ipsa Orationis
natura, secundo diuinæ scri-
pturæ auctoritas, tertio doctri-
na sanctorum. Et vt à primo initiū sumam.
dico cum natura cuiusque rei cognoscatur
ex eius definitione, naturam quoq; oratio-
nis ex definitione esse indagandam.

S. DAMASCENVS libro I. de fide or-
thodoxa cap. 14. definit eam in hunc mo-
dum. ORATIO est ascensus mentis in Deum
& ANSELMVS. Oratio est eleuatio mentis in
DEVM. In vtraq; vides orationem vocari
eleuationem, vel ascēsum animæ ad Deum.
Vbi notandum est, etsi Deus animam no-

D 3 stiam

stram ea cōditiōe creauerit, vt naturaliter conscendat sursum ad Deum, sicut naturale est lapidi ferri deorsum, vt tradit B. Augustinus libro I Confession cap. i. *Domine, inquietans, creasti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* ac proinde tam facile ei deberet esse ascensus, quam lapidi facilis est descensus, tamen manibus tangimus contrarium Licet enim aliquando conetur se in sublime sustollere, tamen ilico instar plumbi deorsum relabatur, corruptibilis huius corporis mole oppressa, vt queritur sapiens. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimat terrenam inhabitatio sensum multa cogitantem.* Propter mutationem igitur vitio peccati originalis in anima nostra factam, dum cogitat vacare orationi, & attollere se in Deum, opus habet variis præparationibus. Nam sicut ad erigendum obeliscum, vel columnam opus est multis ordinibus trabium, aliarumq; machinarum ob ingens earum pondus, sic ad erigendum in precibus cor nostrum in Deum, opus est variis mediis.

Sap. 9.

¶ Scriptura eandem præparationum necessitatem non silet. *Ante orationem, ait Ecclesiasticus, prepara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat DEVM, quod perinde*

Eccle. 8.

perinde est, ac si dicat. Antequam ad orandum te conferas, præpara te: si enim secus feceris, Deum tentabis, quod S. Thomas asserit esse peccatum. Nec mirum, quia non est aliud, quam probare potentiam diuinæ suæ maiestatis. Tentare quippe Deum, est velle Deum extraordinaria potentia efficere illud, quod semel decreuit ordinaria potentia facere per causas naturales. Tale fuit consilium dæmonis Christo Domino propositum, vt de pinnaculo templi se deiiceret. nam Christus apud S. Matthæum ei respondit. *Non tentabis* S. Tho.
22. q. 57.
a. 3.
Dominum DEVM tuum. inuens, cum scala sit ordinarium instrumentum, qua commodè ex sublimi loco descenditur, conueniens non esse expectare miraculum extraordinarium, vt deportaretur manibus angelorum, quemadmodum nequam ille suggererat. Matt. 4.

QVOD ad doctrinam sanctorum de eadem præparatione attinet, contentus ero iis, quæ noster B. P. I G N A T I V S in suo Exercitiorum spiritualium libro præscribit, vbi satis perspicuè sententiam suam in Annotationibus exposuit. *Tradēs exercitia,* inquit, *si animaduertit ei, qui recipit, nullas in-aidere spirituales animi commotiones, Et*

D 4 *suat*

sunt consolationes, vel tristitia, neq; diversorum spirituum agitationes, sedulo debet percunctari, an ipsa exercitia præscriptis agantur temporibus, & quibus modis: an etiam obseruet diligenter cunctas additiones, & de singulis ratio postuletur. Vnde liquet, cum iudicasse omnes supradictos bonos Meditationis effectus pendere ex obseruatione additionum, quæ sane omnes pertinent ad præparationem. Adhæc legimus in eius vita, solitū eum dicere, quamuis negotia etiam humana homo spiritualis debeat in precibus suis commendare DEO, prosperumque eorum exitum è diuina manu præstolari; nihilominus suam quoque debere in eo perficiendo locare industriam, ac tanto quidem studio ac cura, ac si ex illa vna felix successus penderet.

RATIO deniq; ipsa euincit præparationem ad rectè orandum requiri, haud secus, quam causa requiritur ad producendum effectum. In omni siquidem productionis genere antegressæ dispositiones communiter appellantur causæ rei productæ. Exempli causa, comburitur lignū huius combustionis efficiens causa non solum dicitur ignis, qui illud accendit, sed etiam sol, qui illud cum humidum vel viride esset, exliccauit.

cavit. Dicitur enim causa, quia humiditatem vel viriditatem, quæ oberant inflammationi, ligno subtrahit. Præparationes ergo quoniam animam nostram disponunt, remouenda impediméta ad rectè orandum, merito dicuntur causa bonæ orationis.

HACTENVS, nisi fallor, satis tibi persuasi, vt credas præparationem oraturo vel meditaturo omnino esse necessariam: iam restat, vt Præparationes omnes diuidamus in tres classes. Prima sit earum, quæ dicuntur *Remota*, ita dictæ, quod longe ante orationem sint vsurpandæ, & quasi è longinquo. Secunda sit earum, quæ vocantur *Propinqua*, vel *Vicinæ*, quia paululum antecedunt orandi tempus. Postrema, est earum quæ dicuntur *Immediatæ*, quia immediatè actum orandi præcedunt.

De collectione animi.

C A P. I I.

ADVERTERE te cupio, me non agere hoc loco de omni collectionis genere, sed tantum de collectione animi: atque ideo suspicari non debes me ad rectè meditando postulare, vt in eremum aliquam te abdas, aut cubiculo perpetuo includas. Quamuis enim corporalis solitudo multū
D 5 ad bene